



Historiadores romanos

FILÓPOLIS III

Seminario permanente de filosofía política

Valencia, 9 y 23 de noviembre de 2017

Segunda sesión

De las *Leyes* de Cicerón

Cicerón.— Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea uis sit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere, eamque rem illi Graeco putant nomine νόμον a suum cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo. Nam ut illi aequitatis, sic nos delectus uim in lege ponimus, et proprium tamen utrumque legis est (1.19; cf. 2.11: Ex quo intellegi par est, eos qui perniciosi et iniusta populis iussa descripserint, quom contra fecerint quam polliciti professique sint, quiduis potius tulisse quam leges, ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse uim et sententiam iusti et ueri legendi).

Cicerón.— Quodsi fingenda nomina sint, adsciscenda potius Vicae Potae et [uincendi atque potiundi] Statae [standi] cognominaque Statoris et Inuicti Iouis (2.28)

Cicerón.— Nam mihi cum multa eximia diuinaque uideantur Athenae tuae peperisse atque in uitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique uita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque, ut appellantur, ita re uera principia uitae cognouimus, neque solum cum laetitia uiuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi (2.36)

Una laguna sobre el contrapeso del poder

Quintus.— Magnum dicis malum. Nam ista potestate nata grauitas optimatum cecidit, conualuitque uis multitudinis.

Marcus.— Non est, Quinte, ita. Non ius enim illud solum superbis populo et uiolentius uideri necesse erat. Quo posteaquam modica et sapiens temperatio accessit, †conuertem lex in omnis est... (3.17)

Historia uero nec institui potest nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolui

Ático.— Postulatur a te iam diu uel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studiis qui [tuis] litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus, ut ea quae salua per te est, per te eundem sit ornata. Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intellego et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satis facere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime (1.5)

P. Scipionem, M. fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica uero uox et magno viro ac

sapiente digna; quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et interdum colloquio alterius non egeret. Ita duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret; sed si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus; nam et a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. Sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum tamquam in portum se in solitudinem recipiebat, nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio constitutum est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis quid est quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? Ita, qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam vixerimus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni, propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas. Quamquam Africanus maiorem laudem meo iudicio assequeretur. Nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat; ex quo intellegi debet illum mentis agitatione investigationeque earum rerum, quas cogitando consequeretur, nec otiosum nec solum umquam fuisse; nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore eversa quam multis annis stante re publica scripsimus.

De Officiis 3.1-4

I politici romani protagonisti del secolo delle guerre civili (133-31 a.C.), se non scrivevano storia, come Sallustio, scrivevano le loro memorie politiche, per influenzare chi di storia avrebbe scritto. Da Silla a Cesare a Cicerone ad Augusto erano, questi *Commentarii*, la prosecuzione della guerra con altri mezzi, la resa dei conti con i vivi e con i morti.

LUCIANO CANFORA
Augusto figlio di Dio, p. 3.